

patet ex exemplis propositis, in bonam partem dicuntur sequestri. Sed est quoque alia, eaque huic notioni perquam adfinis, vocis significatio, qua in malam partem ea adcipitur, ut conuicium sit, sequester adpellari <sup>p)</sup>. Id ipsum autem duplici ratione factum esse inuenio, quarum altera est altera paullo generalior. Specialior et magis restrictus significatus huius conuicii is est, quem Q. ASCONIUS PAEDIANVS <sup>q)</sup> nos docet, quum interpretem et sequestrem distinguit, hac ratione: *deponitur in sequestri, adcipitur ab eo, qui corrumpitur, recipitur, id est, promittitur, id est, pro iudicato respondetur. Item: sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur, interpretes, per quos inducitur pactio.* Huius autem generis sequestrium mentionem fieri inprimis apud veteres inuenio, dum aut de corrupendis iudiciis agitur, aut comitiis, inprimis in crimine ambitus et in sodalitiis. Quod ut clarius pateat, proferam in medium quaedam veterum loca, in quibus sermo est de hoc genere hominum. Ita sequestres aut interpretes iudicii corrupendi discrete occurrunt apud CICERONEM hoc loco <sup>r)</sup>; *moneo, praedico, ante denuncio, qui aut deponere, aut recipere, aut adcipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrupendi iudicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc iudicio manus, animosque ab hoc scelere nefario.* Ita

C 3

quoque

p) Diserte id CICERO dicit Orat. pro M. Coelio c. 13. f. 30. *Adulter, impudicus, sequester, conuicium est, non adcusatio.*

q) apud DIONYS. GOTHOFREDVM in *Auctoribus Linguae latinae in unum corpus redactis* Geneu. 1623. edit. pag.

1363. ex quo loco firmatur id, quod obseruat V. S. V. Cl. ERNESTI in *Clau. Cic. l. v. sequester.*

r) *Act. 1. in Verrem cap. 12. f. 36.* ad quem locum pertinet illa ASCONII explicatio, cuius modo mentionem feci.